





1.
2.
3.
4.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.



16. 4
GUIL. HIERONYMUS
BRUCKNER D.

PANDECTARVM PROF. PVBL

CVRIÆ PROVINCIALIS
FACVLT. JVRIDICÆ ET SCABI.
NATVS ASSESSOR

DE

VSV ET ÆSTIMATI-
ONE SCRIPTURÆ S. APUD
PONTIFICIOS, ET SPECIATIM IN
JURE CANONICO,

occasione c. XVI. X. de præbend.

& dignit.

Quod

Clarissimus Farium

CANDIDATVS

DN. CHRISTOPH. FERD. KAMPERUS

Vratisl. Siles.

LECTIONE CURSORIA

D. XVI. Febr. M D CC V.

selegit explicandum

in

PROGRAMMATE IN AVGVRALI tractat.

J E N Æ,
Litteris MVLLERIANIS.

GUILLIHERONVM

BRUCKNER D.

LANDTAKMANN VON TURL

ORDINARIIUS
FACULTATIS THEOLOGICAE
MAGISTER

VSVETNISTIMATI

ONE SCRIPTURAS APUD

FONTIUM ET SERRAM IN

HAEC SCRIPTURA

1770

1770

DR. CHRISTOPH ERD. KAMPERUS

1770


1770

1770

PROGRANNA IN KANTONEN

1770
LUDWIG MILLERMAN





Uo animo communiter affecti sint, Pontificii erga Scripturam sacram, haud difficulter exinde colligere possumus, quod (1) traditiones non scriptas pari pietatis affectu & reverentia suscipiant & venerationentur, sicuti Scripturam a Spiritu S. inspiratam. vid. *Concil. Trid. sess. 4. Chemnitius* autem in *Examine* hujus Concilii, ubi de Scriptura sacra tractans peculiarem fecit inscriptionem de similitudine & affinitate traditionum Pontificiarum cum Pharisaicis & Talmudicis, p. m. 26. & seqq. solidissime ostendit, quod ovum ovo non sit, similis, quam traditiones Pharisaorum, a Christo Salvatore passim in N. T. & potissimum Matth. 15. rejectae convenientiam habeant cum Pontificiorum traditionibus. Et licet *Bellarminus* Cardin. in *libr. Controv. de Verbo DEI lib. IV.* operosus sit in defendendis traditionibus & refutando Chemnitio, non sine voluptate tamen observavi, quod ad dictam comparationem, a Chemnitio prolixè & graphice deductam, in cap. 10. ubi ad objectiones nostratum respondere conatur, ne verbum quidem regefferit, prorsus convictum se esse tacite confessus. (2) Patres Tridentini sess. 4. decret. 1. statuerint, pro authentica habendam esse versionem vulgatam, ut nemo eam quovis prae-textu rejicere audeat vel presumat. Ubi autem Protestantes ex illa versione

adferunt dicta, textui originali Hebræo V. & Græco N.T. haud convenientia, quidam Pontificii profano utuntur, effugio, corruptum & depravatam esse textum primigenium, vid. *Gerhard. in Confessione Cathol. part. 1. lib. 2. special. art. 1. cap. 2. ib. 2.* alii cordati hanc sententiam improbant, versionem vulgaram cum originali conciliare nituntur, sed sæpe irrito conatu. Sic e.g. quando *Bellarmin. cit. loc. lib. 2. cap. 2.* probare vult, versionem vulgaram per omnia recte se habere, primum adfert locum ex *Genes. 3. v. 15. Ipsa conteret caput tuum*, ubi per Ipsam Pontificii intelligunt mulierem, cujus in contextu fit mentio, & per mulierem subaudiunt B. Mariam virginem, cui virtutem tribuunt conterendi caput serpentis infernalis scil. diaboli. Sed cum in textu Hebræo non inveniatur vocabulum *וְרִיָּה* illa, sed masculinum *וְרִיָּה* ille, quod proxime præcedens *וְרִיָּה* in Hebræo sementem (generis masculini) notans respicit, & jungitur quoque cum verbo tertiæ personæ futuri masculini *יִשׁוּבֶךָ* contriturus est tibi, evincere tamen conatur, quod vocabulum *וְרִיָּה* absque punctis positum, aliquando significet ipsam, & quod feminino nomini respondeat sæpe in Hebraicis verbum masculini generis; quod mihi perinde videtur, ac si latine ita loqui velim: Ipsa contriturus est tibi caput; quam falsa autem sit Bellarmini conciliatio, etiam ex eo patet, quod *וְרִיָּה* dageschatum tertiæ personæ singularis num. additum verbo *וְרִיָּה*, *conteres ei* (calcaneum) significationem masculinam, non femininam habeat; & sic juxta Bellarminum in paucis vocibus tres simul anomalias concurrere oportet, ad adstruendam vulgatæ versionis authenticam autoritatem, quod in Grammatica non minus omni prorsus destituitur fundamento, quam illud assertum in Theologia, quod B. Virgo in Opere Redemptionis, indicato per verba illa: *conteret tibi caput*, sit persona calcans diabolum, cum tamen Salvator *Es. 63. v. 3.* de illo Opere loquens dicat: *Ego solus calcavi torcular, & de populis non est quisquam me-*

CIII

eum. (3.) Quod Sacra Scriptura non fit iudex contro-
versiarum spiritualium, sed potius Romanus Pontifex,
de quo scribit Bellarm. lib. 4. cap. 5. *controv. de Pontif. Rom.*
Fides Catholica docet, omnem virtutem esse bonam, omne vi-
rium esse malum: Si autem Papa erraret precipiendo vitia, vel
prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere, vitia esse bona,
& virtutes malas, nisi vellet contra conscientiam peccare. Quo
asserto quid irreligiosius proferri potuisset, non video. Sed
quisnam in hac controversia est iudex, An Papa sit iudex?
Cum enim naturaliter de ipso nihil constet, prius perso-
nam suam, ut JCrī loquuntur, legitimare debet præsertim
contra illos, qui eum pro iudice nondum agnoscunt. Si
Pontificii dicunt, Ecclesia Romano-Catholica in hac con-
troversia est iudex, iterum quæritur: Unde Ecclesia illa
petit legitimationem suam? Nam Ecclesia hodierna Græ-
co-Christiana longe lateque patet, & in illa e. g. Patriarcha
Antiochenus non minus successionem non interruptam a
Petro derivare conatur, ut Romanus Pontifex, unde igitur
probat, quod Ecclesia Romano-Catholica sit in hac con-
troversia iudex? Mirum, quantum hīc se torqueant Pon-
tificii, quod observavi, cum aliquando responsum ur-
gerem a Jesuita magni nominis. Experimentum faciant
alii, & videbunt, quod Pontificii, etiam invitī, tandem
recurrant ad Scripturam sacram, jam allegantes illud
Matth. 16. v. 8. Tu es Petrus, & super hanc Petram (velut ipsi
legunt in Vulgata: super hunc Petrum) edificabo Ecclesiam,
meam, & porta inferorum non superabunt eam, jam provocan-
tes ad dictum Matth. 18. v. 17. Dic Ecclesia, quod si Ecclesiam
audire neglexerit, sit tibi velut ethnici & publicani. Sed si
juxta Pontificios non est absurdum, quod Scriptura S. in
hac lite: An Papa vel Ecclesia Romana sit iudex contro-
versiarum? admitatur ut iudex, certe non absortum erit,
quod etiam in aliis fidei controversiis sit iudex. Si tamen
distincte quætionem illam decidere volumus, meo qui-
dem

dem iudicio dicendum, quod S. Scriptura sit norma & regula controversiarum fidei, eaque certa, perspicua, adæquata; conscientia autem cuiusvis Christiani, usum rationis perfectam habentis, sit iudex, in iudicando regulam illam divinam sequi obstricta, & quod Deus in N. T. præter illam normam non constituerit externum visibilem controversiarum fidei iudicem, cuius placitis cæco obsequio acquiescere debeamus, sed solum internum iudicem scilicet conscientiam, quæ secundum normam Scripturæ sic iudicare tenetur, ut in Extremo iudicio rationem Deo reddere queat. (4) Quod S. Scripturam habeant pro libro prohibitiæ lectionis, a Laicis ob seductionis periculum citra dispensationem non evolvendo. Sed hoc institutum displicet multis cordatis Pontificiis, inter quos *Erasmus Rotterodamus* in Præfatione ad Paraphrasin N. T.; & *Dobler* aliquis *Sorbonicus*, qui in urbe Montium Belgii Hispanici anno M D CLXVII. cum approbatione Superiorum imprimendam curavit versionem N. T. Gallicam, tam graphice demonstrarunt, non Clericos tantum, sed & Laicos promiscue omnes ad lectionem S. Scripturæ esse admittendos, quin invitandos & monendos, ut nullum amplius hac in re superesse possit dubium. (5) Quod aliqui e Pontificiis S. Scripturam profanis dictionibus & impiis convitiis proficiant, dum illam vocant *nasum cereum*, *in omnem sensum flexilem*, *regulam Lesbiam*, *calceum utrique pedi aptum*, *atramentum futurum*, *folium Sibyllæ*, *Sphinxis anigmata*, *materiam litis*, *litterulas atramento scriptas*, *litteram mortuam*, *restem*, *magistrum*, *iudicem mutum*, *surdum*, *mortuum*, qui nec *lirigantium utrinque rationes audire*, nec *sententiam ipse eloqui valeat*; quales & plures alios flosculos e Pontificiis Theologis collegit *Gerhard* in *Confess. Cathol.* lib. 1. p. 2. cap. 4. n. 13. fol. m. 123. Ex his facile animadvertimus, quam contemtim & abjecte loquantur de S. Scriptura, qui talia scribere haud verentur. Et licet quidam Pontificii detestentur has impias voces,

voces, nihilominus impune grassantur, & fatis produnt, quo in pretio communiter habeant divina illa, nobis in Scriptis relicta, Mysteria. Igitur non mirum, si sepe inveniamus Clericos & Theologos Pontificios, crassa Scripturarum sacrarum ignorantia laborantes, magisque in Thoma & Scoto quam divinis illis eloquiis versatos. De Andrea Carlstadio referunt, ipsum demum octavo anno, postquam Doctor Theologiae cum elogio sufficientissimi in Papatu fuit creatus, ad Bibliorum lectionem primum accessisse. D. Gilbertus Burnet Theol. Anglus in Tract. de *Ortu & Progressu Quietismi & Vita Molinos* adducit Censuram & Confutationem Quietismi, Romae ab Inquisitione vulgatam, in qua haec p. m. 126. extant verba: *Theologi dicunt cum Augustino: In Deo sumus, movemur, & vivimus.* Ad quae Burnet sequentia notat; *debuisset Paulus allegari Act. 17. v. 28. non Augustinus, cum ille primum hoc dicto usus est. Sed non reperitur locus in orbe, ubi minus legitur Novum Testamentum, quam Roma.* In Jure Canonico passim ridiculae & inconvenientes Scripturarum allegationes inveniuntur, quarum insignem numerum adduxit Iob. Himmelius in Tract. de *Jure Canon. cap. VII.* Praesens quoque textus, *c. cum secundum* 16. X. de *prabend. & dign.* cujus explicationem Clariss. Dn. Candidatus tradet in Lectione Curforia, Speciminis loco esse potest, in Jure Canonico perperam citari Scripturam sacram. Scribit ibi Pontifex Innocentius III. *ut vere possint psallere Clerici cum Propheta dicente: Dominus pars hereditatis mea, dignum est, ut Ecclesia stipendiis sustentetur, in qua & perquam divinis obsequiis adscribuntur.* In V. T. quando terra Canaan dividebatur inter 12. tribus Israelitarum, Levitis & Sacerdotibus non dabatur portio terrae, sed Deus dicebatur esse ipsorum pars & possessio Num. 18. v. 20. Jos. 13. v. 33. Ezech. 44. v. 28. E primitiis autem, decimis & sacrificiis vivebant, habitantes in suburbiis & agris Israelitarum. Speciatim in *Psalmo 16.* Christus, (ad quem illa appli-

applicatur *Ast. 2. v. 25.*) introducitur loquens *v. 5. Dominus portio hereditatis mee & calicis mei, tu sustentans (es) sortem meam; v. 6. funes ceciderunt mihi in iucundis, etiam hereditas elegantissima super me.* Hæc verba Psalmi in dicto respiciuntur capitulo a Pontifice, cujus mens eo redit, ut Clerici possint lætiori animo esse, & sibi de clericali dignitate pariter atque præbenda gratulari, non debet clericus ordinari nisi ornentur simul titulo & officio, reditus ad sustentationem sufficientes habente. Unde hodie, prout refert *Tholosanus lib. 16. Syntagm. cap. 1. §. 5. qui alleguntur in Clericorum ordinem, palam sacrum hujus professionis versiculum ex Psal. 16. pronuntiant: Dominus pars hereditatis mee, Tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.* Igitur, ne Clerici in dedecus & opprobrium ordinis sui vivere & mendicare cogantur, prohibet Pontifex, ne ipsis ordo, per quem ad peculiarem evehuntur dignitatem, prius conferatur, quam reditus adsint, ex quibus honeste vitam transigere possit. Sed illud e dicto Psalmo non recte probatur. Christus enim in Psalmo verba faciens, alibi *Matth. 8. v. 20. & Luc. 9. v. 58. de se ipso dicit: Vulpes habent antra, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet;* Ex quibus certiores reddimur, illam sortem, & portionem hereditatis, de qua sibi Salvator in *Psal. 16. gratulatur, non fuisse reditus terrenos aut caduca bona, quæ ipse magno animo contempsit, sed æternum duraturam hereditatem cælestem.* Apostolis quoque non reliquit opima prædia & officia, potius *Matth. 10. v. 9. & seqq. prohibuit, ne aurum & argentum, & alia caduca bona pararent, & respicerent.* Paulus victum & amicum propriis manibus quæsit, nec Ecclesiæ in minima re gravis fuit *1. Cor. 9.* Et licet Clerici salva conscientia possint reditus habere & officia, nulla tamen ratione e *Psalmo 16. evincitur, quod certi & fixi reditus assignari ipsis debeant, potius, si Christum *Psal. 16. loquentem imitari volunt, heredita-**

reditatem celestem posthabiris omnibus terrenis respicere debent. Ut rectius intelligamus Pontificis mentem, sistamus nobis duos clericos, alterum, qui splendidum munus & beneficium sat opimum in ordinatione accepit, alterum, qui sine certo beneficio consecutus est ordinem. De illo statuit Pontifex, quod vere cum Propheta psallere possit: *Dominus pars hereditatis meae*; de hoc existimat, quod hunc in modum psallere non possit, Ego vero putarem, quod clericus, nullis terrenis præditus opibus & redditibus, sed sola Dei contentus gratia verius psallat: *Dominus pars hereditatis meae*; simulque cum Assaph canat *Psal. 73. v. 26. 27. Quis mihi in cælis esset præter te? Te solo delector, nec quid aliud volo in terra, deficiente carne mea & spiritu meo, rupes animi mei & portio mea Deus est in æternum.* Sed de his alia occasione plura. Restant nunc quædam dicenda Clariss. Candidato

DN. CHRISTOPH. FERDINANDO KAMPERO,


Natus is est A. C. MDLXXIX. d. VI. Febr. in inclitya Silesiorum Urbe Vratislavia; Patrem coluit Dn. GEORGIUM KAMPERUM, Senatus Vratislav. Protonotarium, ante novem annos pie defunctum; matrem suspicit Matronam Optimam ANNAM HELENAM, natam KOEPELLIAM. Non solum autem privatis traditus præceptoribus, sed & ad illustre Gymnasium Elisabethanum missus ab infimis subfelliis ad summam classen ascendit. Docentes audivit, & quidem Theologos Dn. M. FRIDERICUM VICIVM Pastorem Templi adjacentis Primarium, Inspect. Theol. Templorum & Scholarum A. C. addictarum, SS. Profess. & Confistor. Assessorem in cælis nunc triumphan-

B

phantem; post obitum ejus successorem Dn. M. CASPARUM NEUMANNUM. Veneratur etiam Præceptores Dn. M. CHRISTIANUM HERRMANNUM, Pastorem jam Primarium Templi Mariæ Magdalena & Confistorii Assessorum; & Dn. M. CHRISTIANUM SCHMIDLUM jam Templi Bernhardini Præpositum; Viros insigni eruditionis & probitatis laude conspicuos. Philosophos audivit Dn. ELIAM MAJOREM, Gymnasii Elisabethani Con Rectorem, Græcæ Linguae Professorem, jam Emeritum; Dn. GOTTLÖBUM KRANZIUM, Hist. Eloqu. Phys. & Matheos Professorem, & nunc Con-Rectorem; Dn. M. GEORGIUM GEBAUE- RUM fato sanctum. Maxime vero deprædicat merito, jugiter grata mente recolenda Dn. M. MARTINI HANCKII Gymnas. Elisabeth. Rectoris Scholarum, Vratislav. Inspectoris, & Philos. Pract. Professoris, cujus publicis privatisque lectionibus assiduus interfuit. Fundamentis studiorum in Gymnasio positus A. C. M. D. CC. d. VI. Maji in nostram se contulit Sallanam, ubi statim Dn. D. BEIERI, jam Pro-Rectoris Academiæ Magnifici Collegio, ad Struvianam Jurisprudentiam habito, nomen dedit; postea frequentavit Lectiones Dni Prof. HAMBURGERT, Dni D. TREUNERI, & Dn. L. BOHSII. In Juris studio porro sectatus est Dn. D. SLEVOGTIUM Seniore, Dn. Confiliarium Intimum WILDVOGELIUM, laudatum Dn. Pro-Rectorem BEIERUM, Dn. D. FLÖRCKIUM & Dn. Lt. BOHSIUM. Pertractatis juris partibus necessariis ad gradum & summos in Jure Honores contendit; unde exposito nobis desiderio admittimus illum ad consueta examina, in quibus non solum textus propositos doctè resolvit, sed & prompta responsione omnibus ita satisfecit, ut communi Facultatis nostræ suffragio cen- sue-

suerimus, ipsum ad reliqua quoque specimina Inaugura-
lia esse admittendum. In crastinum igitur habebitur Le-
ctio Cursoria, cui ut interesse dignentur Magnificus Dn.
Pro-Rector, Illustrissimi Dni Comites, Proceres Acade-
miae Venerandi, Doctores, Adjuncti, Magistri aliique
Hospites colendisimi; praesertim vero ut Generos & No-
bilit. omnium Facultatum Studiosi hunc actum sua praesentia
exornent, decenter Facultatis nomine rogantur.
P.P. Jenae d. XV. Febr. M. D. CC. V.











16. 4

**GUIL. HIERONYMUS
BRUCKNER D.**

PANDECTARVM PROF. PVBL
CVRIÆ PROVINCIALIS
FACVLT. JVRIDICÆ ET SCABI.
NATVS ASSESSOR
DE

**VSV ET ÆSTIMATI-
ONE SCRIPTURÆ S. APUD
PONTIFICIOS, ET SPECIATIM IN
JURE CANONICO,**
*occasione c. XVI. X. de præbend,
& dignit.*

Quod
Clarissimus Farium
CANDIDATVS
DN. CHRISTOPH. FERD. KAMPERUS

Vratisl. Siles.
LECTIONE CURSORIA
D. XVI. Febr. M D CC V.
selegit explicandum

in
PROGRAMMATE INAVGVRALI tractat.

J E N Æ,
Litteris MULLERIANIS.